

„litteras proprii Episcopi tam Originis, quam Domicilii
 „super suis Natalibus, ætate, moribus, & vita sibi conce-
 „di obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius
 „Curia conservandas exhibuerit. Licet verò Clericus ra-
 „tione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subijci
 „dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi
 „Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero
 „hac in re inconcussè servari volumus Regulam, ut nemo
 „ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines
 „acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit
 „reditus, ut ad congruam vitam sustentationem sive juxta
 „Taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Re-
 „gionis pro promovendis ad Sacros Ordines, deductis o-
 „neribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacificè
 „possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod
 „deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione Pa-
 „trimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem,
 „seu alia quavis Diœcesi obtineret, ac Episcopus sic Ordini-
 „ans tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de
 „reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collato-
 „rum Ordinum attestazione mentionem facere debet.
 „Cæterum Subditus ratione Originis tantum sit, ac esse
 „intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua
 „ad Ordines promovendi desiderat, dummodo tamen ibi
 „natus non fuerit ex accedenti, occasione nimirum itineris,
 „Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius
 „temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo lo-
 „co, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed
 „vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda,
 „Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex-
 „accedenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit,
 „ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irreti-
 „ri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras Testimoniali-
 „les, ut supra, obtinere, illaque Episcopo Ordinanti per
 „eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recen-
 „sendas præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi
 „ejus filius natus est, tandiu, ac eo animo permanerit, ut
 „inibi verè Domicilium de Jure contraxerit, tunc non ori-
 „go Patris, sed Domicilium per Patrem legitime, ut præ-
 „teritur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi
 „debeat. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum
 „suscipiendi Ordinis dumtaxat censeatur qui, licet alibi
 „natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituerit in
 „aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitan-
 „do, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem
 „cum instructis Aedibus in locum hujusmodi transferen-
 „do, ibique insuper per aliquod considerabile tempus
 „commorando, satis superque suum perpetuò ibidem per-
 „manendi animum demonstraverit, & nihilominus ulte-
 „rius utroque casu se verè & realiter animum hujusmodi
 „habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ ori-
 „ginis loco in ea ætate discesserit, quâ potuerit alicui Cano-
 „nico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ
 „originis testimoniales litteras, ut supra afferre debet, ac
 „de illis expressè similiter mentio in susceptorum Ordinum
 „Litteris facienda erit.

CAPUT III.

De Litteris Dimissorialibus.

1. *Quæ essent apud Veteres Litteræ Dimissoriales?*
2. *Harum Litterarum mentio occurrit in antiquis Canonibus; sed alio sensu, quam hodie accipiuntur.*
3. *Litteræ Dimissoriales hodie dantur, ut quis ab alieno Episcopo ordinetur.*
4. *Dare Litteras Dimissoriales propriè ad Episcopos pertinet.*
5. *Olim quibusdam inferioribus Prælatibus facultas dandi Dimissoriales competit.*
6. *Synodus Tridentina hanc facultatem sustulit.*

7. *Decretum S. Congregationis conforma.*
8. *Auctoritas dandi Dimissoriales competens Capitulo Sede vacante per Synodum Trid. restricta.*
9. *Pœna in contravenientes decreta.*
10. *Episcopus confirmatus non consecratus potest dare Dimissoriales; & Archiepiscopus ante receptionem Pallii.*
11. *Facultas hac ab Episcopis delegari potest.*
12. *Synodus Trid. desiderat, ut Episcopi per se ordines conferant.*
13. *Jure communi in litteris dimissorialibus exprimentur causa ob quam Episcopus non ordinat; sed hodie non observatur.*
14. *Non est conveniens ut Episcopus passim suos alio mittat.*
15. *Synodus Tridentina non vult dari Dimissoriales nisi jam probatis.*
16. *Synodi posteriores idem inculcant.*
17. *Iustitia horum Decretorum.*
18. *Interdum examen aliis delegandum; & qua cautio à S. Carolo hic adhibita.*
19. *Studentium in Academia examen saepe aliis committitur; & quid hic præcipue attendendum.*
20. *Synodus Trid. videtur ultra examen Ordinarii etiam requirere examen alieni ordinantis vigore Dimissorialium.*
21. *Idque in aliquibus Diœcesibus observatur.*
22. *Sacra Congregatio declaravit, id esse arbitrarium.*
23. *In Belgio non solet secundum examen institui.*
24. *Merito attendunt Episcopi à quo Dimissoriales concessæ sint.*
25. *Sanctus Carolus noluit sine necessitate dimissoriales dari.*
26. *Noluit eas dari nisi pro Ordinibus unâ ordinatione recipendis.*
27. *Vult in eisdem præscribi tempus intra quod Ordines sint suscipiendi.*
28. *Dimissoriales ad tempus vel certos Ordines restrictæ quando existunt?*
29. *Litteræ Dimissoriales per mortem Episcopi non existant.*
30. *Concessæ à Capitulo Sede vacante aut Vicario durante etiam existunt à horum potestate.*
31. *Poterit novus Episcopus Litteras Dimissoriales à Capitulo datas revocare.*



I^llterarum Dimissorialium sive Dimissorialium frequens est etiam apud Veteres mentio; sed alio nonnihil sensu, quam hodie accipiuntur.

Antiquitus enim ferè ejusmodi litteræ non dabantur, nisi Clericis qui ad aliam Ecclesiam mittebantur non reverturi. Cum enim secundum disciplinam illius temporis, Clerici omnes vi suæ ordinationis adstringerentur certæ Ecclesiæ, à qua sine consensu Episcopi recedere non poterant; si Clericus ad aliam Ecclesiam transire vellet; petebat ab Episcopo dimissionem; si Episcopus consentiebat, expediebatur litteræ, quibus significabatur, quòd Episcopus hunc Clericum à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenebatur, absolveret; atque à se dimitteret; alterique Episcopo eum cederet; jusque omne quod in eum habebat in alterum transferret; atque hæc propriè dicebantur Litteræ Dimissoria, à verbo latino *dimittere*.

II. Hoc sensu Litteræ Dimissoriale accipiuntur à Concilio Carthaginensi I. *Can. 5.* litteras has ideo solum requirere, ne alienus Episcopus alterius Clericum usurpet; id est, suæ Ecclesiæ adscribat, & alteri eripiat. Et in Synodo Trullana *Can. 17.* decernitur ut nullus omnino Clericus in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta *dimissoria* in alienæ Ecclesiæ catalogum referri.

Hic

Hic *dimissoria* requiritur, non ut Clericus ab alio Episcopo simpliciter ordinetur; sed ut in alienæ Ecclesiæ catalogum referatur; quod fieri mores illorum temporum non permittebant, nisi ab Ecclesiâ cui prius fuerat adscriptus *dimitteretur*; quod fiebat mediante *dimissoria*.

III. Hodie verò vulgari nomine litteræ *dimissoria* sive *dimissoriales* vocantur, quibus Clerici non absolute suis Ecclesiis dimittuntur; sed quibus ad alienum Episcopum, Ordinum suscipiendorum causa dumtaxat *dimittuntur*; seu quibus facultas sit alicui à non suo Episcopo Ordines suscipiendi; ita ut Episcopus in eum Clericum pristinum jus & auctoritatem sibi reineat; nec à se *dimittat* nisi ad hunc solum effectum, ut ab alieno Episcopo, Ordinem in litteris expressum suscipiat.

IV. Sicuti autem Episcopi sunt Ordinarii Ordinum Ministrorum, itaque ad ipsos propriè spectat Ministrorum Ordinatione & electio, ita quoque semper ad Episcopos primariò spectavit, & hodie spectat dimissoriales litteras dare.

Inferiores Prælati, Religiosi vel alii, nisi eis quod suos Clericos, aut subditos, possint à quo voluerint, Episcopo facere ordinari, à Sede Apostolica specialiter sit indultum, vel Officialis Episcopi (cum ad hoc se ipsius officium non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impartiri. *Cap. 3. de temporib. Ordinari. in VI.*

Hic supponit Pontifex, Episcopis jure ordinario competere facultatem dandi litteras *dimissoriales*; inferioribus verò nominis ex speciali Sedis Apostolice indulto, quemadmodum etiam indicitur in *Cap. 8. de Officio Archid.* ubi mandatur Episcopo, ut interdicit Archidiacono suo, ne sine conscientia sua & auctoritate litteras suas promovendis concedat Clericis.

Ad quæ reflectens Glossographus ait: "Et ita patet, quod Archidiaconus non potest dare commendatitias ad Ordines suscipiendos, sed solus Episcopus."

V. Subjicit tamen Glossographus hanc exceptionem, "Si Episcopus absens esset extra Parochiam suam & necessitas vel utilitas Ordinandorum immineret, tunc posset illos præsentare aliis Episcopis per quos ordinentur: quia absente Episcopo supplet vices, sic & Archiepiscopi; & hoc intelligo (ait) si Archidiaconus habet hoc *de consuetudine* aliis non, nisi haberet speciale mandatum."

Ex his quoque non obscurum est, olim nonnullis inferioribus Prælatibus, ut Archidiaconis, Archiepiscopis, vel Abbatibus, sive per Indultum, sive per consuetudinem facultatem hanc fuisse communicatam.

VI. Verum Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 10. de Reformat.* postquam interdixit Abbatibus, ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis, cuiquam qui *Regularis subditus* sibi non sit, Tonstram vel Minores Ordines conferre, subdit: "Nec ipsi Abbates & alii exempti & Collegia, vel Capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedra-
 "rium Litteras dimissoriales aliquibus Clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur concedant, sed horum omnium ordinatione, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ Synodi Decretis continentur, ad Episcopos intra quorum Diœcesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, prescriptionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus."

Hoc Decreto auctoritatem dandi dimissoriales competentem Prælatibus inferioribus, vel ex privilegio vel consuetudine vel prescriptione esse revocatam, nequaquam obscurum est.

VII. Unde cum Capitulum Antverpiense obtinisset privilegium à Leone X. quo dabatur facultas dandi *dimissoriales* de promovendo etiam extra tempora; eaque auctoritate, non obstante Decreto Concilii Tridentini uti vellet Capitulum, quæstione per Episcopum Romam delatâ, & S. Congregationi proposita, rescriptum est ad Episcopum, Sacram Congregationem censuisse, "Facultatem concedendi *Dimissoriales* litteras Capitulo ademptam esse Decreto *cap. 10. Sess. 23.*" Litteræ extant apud Zypæum in

Jure novo *tit. de Officio Ordinarii. num. 20.*

VIII. Quia Sede vacante Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopalem, jam olim obtinuit, ut Capitulum Sede vacante *Dimissoriales* ad suscipiendos Sacros Ordines statim à morte Episcopi dare posset; at Synodus Tridentina per Decretum sub Paulo III. editum *Sess. 7. cap. 10. de Reformat.* hanc capituli auctoritatem aliquatenus restinxit, uti supra *parte 1. tit. 9. cap. 2.* notavi.

IX. Ulterius pœnam interdicti Capituli, si Decreto contraveniat, comminatur: & insuper ut "ordinati, si in Minibus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant in majoribus verò, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso jure suspensi."

Hanc pœnam Synodus *Sess. 23. cap. 10. de Reformat.* Ad illos qui eadem litteras non à Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante, succedentibus, obviarent contra Decretum sub Paulo III. mandat extendi. Concedentes autem *Dimissoriales* contra formam Decreti, ab officio & beneficio per annum sint ipso jure suspensi.

X. Cæterum, quia concessio Dimissorialium ad Ordines suscipiendos non ad ea quæ Ordinis Episcopalis sunt, sed ad ea quæ jurisdictionis sunt, pertinet; nemo ambigit, quin Episcopus electus & confirmatus, licet nondum consecratus *Dimissoriales* dare queat; eo quod post confirmationem, etiam ante consecrationem Episcopus exerceat omnina quæ sunt jurisdictionis, quemadmodum *part. 1. tit. 14. cap. 5.* ostentum est. Idem est iudicium de Archiepiscopo ante acceptum *Pallium* Archiepiscopale, sine quo Ordines conferre nequit, licet quæ jurisdictionis sunt exercere valeat, uti similiter *parte 1. tit. 19. cap. 5.* probatum est.

XI. Eadem ratione facultas dandi *Dimissoriales* Vicariis seu Officialibus Episcoporum competere potest, modo Episcopi eam specialiter ipsis delegaverint. Hanc auctoritatem in Provincia Colonienſi seculo præterito competiſſe Officialibus supposituit Synodus Colonienſis anno 1536. *part. 1. cap. 29.* prohibens. "Ne Officialis Litteras *Dimissoriales*, quæ vulgò *Licentiatioria* Ordinandi vocantur, alicui temerè concedant: illarum enim prætextu, qui suæ ruditatis & inscitie sibi conscii sunt, nostrorum Vicariorum in Pontificalibus disquisitionem subterfugiant, ac alio migrant, ubi nullus canonicæ traditionis respectus habetur."

Idipsum supposituit Synodus Moguntina anno 1579. *cap. 14.* dicens: "Commisariis nostris serò inhihemus, ne in posterum alicui Litteras *Dimissoriales* sine magna & necessaria causa, quam bene exploratam habere debent, concedant."

Profectò cum à certa ac Canonica Ministrorum electione & sublimatione præcipue rectum Ecclesiæ regimen & populi salus dependeat, Episcopi summa circumspectione in ea procedere debent, neque temerè aut facile aliis Ordinationem suorum ministrorum credere.

XII. Et quidem Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 3. de Reformat.* vult, ut "Episcopi per *semetipsos* Ordines conferant: quod si agritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant."

Quamvis Synodus non exprimat nisi causam *agritudinis* ob quam suo ad alium Episcopum mittere queat, nequaquam tamen alie graves & necessariæ causæ exclusæ censentur, quibus legitime præpeditus Episcopus, ad alium Episcopum Ordinandos dimittat, quemadmodum expressit Concilium Mediolanense III. sub S. Carolo tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis.*

XIII. Et quidem Clemens IV. in *Cap. 3. de temporibus Ordinari. in 6.* non vult aliquem Ultra-Montanum ab Episcopo Italo ordinari nisi in Litteris *Dimissorialibus causa legitima* contineatur, quare illum Episcopus originis noluit aut nequeat ordinare.

Mm 4

Unde

Un le jam pridem creditum fuit, & S. Carolus observavit, quod in Litteris *Dimissorias* deberet exprimi causa ob quam Episcopus proprius ordinare nequeat aut nolit; quod tamen nec in Gallia nec in Belgio observatur, uti advertit Rebuffus in *Praxi Benef.* titulo *De formula Dimissoriarum num. 28.*

XIV. Interim ex Decreto Synodi Tridentinae fat in elligitur, mentem Ecclesiae nequaquam esse, ut Episcopi passim suorum subditorum ordinationes aliis committant, quasi rem ipsis nimis molestam, aut nimis vilem; quod plane à pristinis ac Sanctis Episcopis remotissimum fuisse, multis exemplis probat Hallierius *parte 2. section. 3. capit. 3. arti. II. §. 5.*

XV. Si verò justa fuerit causa mittendi subditum ad alienum Episcopum pro Ordinibus suscipiendis, merito addit Synodus Trid. non aliter quam probatos mittendos esse, id est, Dimissoriales dandas non esse, nisi jam probatis, quod & alio loco sufficienter expressit; vetans aliquem ab alieno Episcopo ordinari, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti aut privilegii praetextu, nisi ejus probitas ac mores Ordinaris sui testimonio commendentur. *Session. 23. cap. 8. De Reformat.*

XVI. Has Concilii Tridentini Sanctiones explicans S. Carolus in Synodo sua Mediolanensi III. titulo. *Qua pertinent ad Ordinis Sacramentum* ait: "Infirma valetudine, aliaque justa causa impeditus Episcopus, si statos Sacros Ordines habere non potest, & aliquem propterea Clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, à quo alicui Ecclesiastico Ordini adscribitur; testimonialibus litteris ei datis, hoc adscribat, & testata faciat, vitæ imprimis & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus, examine habito judicatus est, Ecclesiasticum Ordinem, quo est proximè initiatus, tum praeterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: si verò majori Ordini adscribens est, ratem item, & titulum sufficientem, que censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii quod ille habet.

Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 9. cap. 5.* "Episcopi subditos suos non nisi jam probatos & examinatos ad alium Episcopum dimittant, juxta Decretum Concilii Tridentini.

XVII. Justissima sanè constitutio. Cum enim nemini magis nota esse debeat, quam proprio Pastori & Episcopo sufficientia ac capacitas sui subditi; atque ipsius maxime interfit, ne quis indoneus è suis subditis, & in sua Dioceseos Clerum ordinetur; nihil sanè justius, quam ut ejus testimonium requiratur, ut appareat, an ipse qui ad Ordines suscipiendos subditum suum mittit, de ipsius capacitate, antequam mittat, ritè sit instructus; atque de ea testetur.

XVIII. Quia tamen interdum contingere potest, ut Ordinandus à Diocesi, aut civitate Episcopali sit absens, nec sine magno incommodo ad Episcopum personaliter pro examine accedere possit, hanc cautionem addidit S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte 3. de Instruendis Ordinibus Sacramento*, ut "hoc casu liceat examine illud speciatim Episcopo delegare, in cujus Diocesi illi morantur: at veso tunc Litteras dimissorias ne det, antequam examinis facti litteras ab eo acceperit, cui illud delegavit.

XIX. Ita hodie, non raro solent concedi Litterae *Dimissoriae* Studentibus in Academia, praesertim remotis à suis Dioceseos, hac inserta clausula, si praevio examine à suo Praefide Collegii, aut aliis in litteris designatis idonei judicentur; in quo hac cautio praecipue necessaria est, ut Episcopi examen illud non committant, nisi iis, quorum sufficientia & integritas probe ipsis fuerit nota; & de quibus securi sint, quod non nisi bene idoneis testimonium capacitatis sint daturi.

XX. Videtur insuper Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 11. De Reformat.* praeter examen proprii Episcopi ad alienum mittentis; nec non illius de sufficientia ordinandi testimo-

nium, insuper requirere examen ipsius Episcopi Ordinat; cum expressè statuat, "Facultates de promovendo à quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimum causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diocesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti praevio examine.

XXI. Et conformiter ad hoc Decretum, etiam à propriis Episcopis examinatos, iterum examinari ab Episcopo ordinaturo, Mediolani & Neapoli, ex Bonacina & Quaranta refert Hallierius loco citato §. 6. dicitque & in Gallia se id ab aliquibus vidisse observari.

XXII. De hac quaestione consultata S. Congregatio, "An scilicet, Episcopus Ordinandus alienos subditos seculares, cum dimissorias proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse, & idoneos repertos, hujusmodi attestati de ferre teneatur, vel etiam possit eosdem Ordinandos examinare; Sacra Congregatio censuit, esse arbitrarium, & ideo posse, sed non teneri." Apud Fagnanum ad *Cap. CUM SECUNDUM §. De Praebendis nu. 56.*

XXIII. Conformiter ad hanc resolutionem, solent hic Episcopi dimissorialibus & attestati proprii Episcopi deferre, atque sine novo examine ordinare; praedictum Decretum Concilii Tridentini intelligentes de his qui facultates de promovendo non à proprio Episcopo, sed à Sede Apostolica obtinuerunt.

XXIV. Addit tamen merito Fagnanus ibidem *num. 57.* quod si Episcopus alienus sciret, eum qui habet Dimissoriales esse criminosum, peccaret ordinando: quia revera manus imponendo indigno, etiam Sacramentum indignè administraret. Quare laudandi Episcopi, qui non adeo faciles sunt, ut admittant dimissoriales dum sciunt, Episcopum in concedendis Dimissorialibus & Ordinandis admodum facilem esse, ac quosvis passim se praesentantes ad Sacros Ordines admittere.

XXV. Ne occasione concessarum litterarum Dimissorialium fallantur Episcopi; eo quod interdum contingat, ut vel hominis mores immutentur, vel quod de illius vita antea minus notum erat atque exploratum, id postea pateat, quo fiat, ut quem Episcopus aliquando sacro Ordine dignum judicavit, illum ipsum postmodum inveniat indignum ut ulteriore Ordine insigniatur, merito voluit Sanctus Carolus in Synodo sua Mediolanensi IV. titulo *Qua pertinent ad Sacramentum Ordinis*: imprimis, ne "Episcopus cuiquam antequam sacra Ordinationis tempus proximè inflet, litteras hujusmodi testimoniales *Dimissorias* pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa umquam concedat.

XXVI. Secundo, "Neque item illdem litteris facultatem det plures ordines suscipiendi, quam illos ipsos tantum, quos uno eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per sacros Canones Conciliaque licuerit.

XXVII. Tertio, "Praefiniat praeterea in illis ipsis certum suscipiendi Ordinis, cui quisquam adscribens est tempus, menstruum scilicet vel bimestre vel longius, ut pro loci distantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse viderit.

Haec ostendunt quanta cautione in dandis litteris Dimissorialibus procedendum judicaverit S. Carolus; ne occasione hujusmodi litterarum indignus quisquam ad Ordines promoveretur. Episcopi has cautiones pro locorum personarumque conditione adhibere poterunt; ubi eas vel necessarias vel convenientes in eundem finem judicabunt.

XXVIII. Subjicit deinde S. Carolus: "Quo praestituto tempore transacto eas litteras eo nomine à se concessas, ei impofterum nihil suffragari nihilque roboris habere iisdem litteris declarat; Quas etiam Cancellario Episcopali ab illo, cui concessae sunt, reddi decernat.

Verum licet haec declaratio in litteris esset omiffa, nihilominus, si Dimissoriales restrictae sint ad certum tempus intra quod ad Ordinem promoveri teneatur, tempore praestituto

stituto elapfo litterae illae suum amittunt valorem & effectum; quia cum facultas seu mandatum non fit nisi ad tempus, etiam ultra tempus extendi nequit.

XXIX. Si autem litterae Dimissoriae sint sine praefinitione temporis, tunc eatenus perpetuae sunt; ut nec per mortem Episcopi revocatae censeantur; uti tradit Rebuffus in *Praxi Benef.* titulo *De Formula Dimissoriarum num. 39.* & communiter Canonistae, atque praxis moderna probat.

XXX. Addit praeterea Rebuffus *num. 43.* Nec etiam si gratia ista suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo concessa sit à Capitulo expirabit, finita Capituli potestate; quia gesta à Capitulo valida sunt, & durant si recte facta sunt. Idipsum plurimis citatis docet Barbosa de officio Episcopi *parte 2. Allegat. 7. n. 24.*

Quod de Dimissorias datus à Capitulo Sede Vacante concessis dicitur; idem dicendum de concessis à Vicario Episcopi, eas nimirum durare etiam extincta potestate Vicarii; uti expressè notat Hallierius loco citato §. 8.

XXXI. Haec de validitate Dimissoriarum sive ab Episcopo, sive à Capitulo vel Vicario concessarum non procedunt, si Episcopus eas re integra, id est, ante Ordinem suscipere revocaverit. Unde Rebuffus postquam dixerat, litteras Dimissorias nec per mortem Episcopi, nec per extinctam potestatem Capituli esse effectum suo evacuat, & immediate subjungit *num. 44.* Poterit tamen Episcopus revocare ea quae nondum sunt sortita effectum: quam opinionem Rebuffus probans Barbosa dicto loco *num. 25.* ait: "A novo enim antistite revocari possunt per edictum omnes & quaeque, cumque à praedecefforibus Praefulibus, vel Capitulo Sede vacante concessae.

CAPUT IV:

De Examine Ordinandorum.

1. Episcopo citò manus imponere vestium.
2. Quid sit citò manus imponere?
3. Ordinandi primum probandi.
4. Synodus vult Ordinandos examini Episcoporum subjacere.
5. Decretum hoc etiam Regulares comprehendit.
6. In omni Congregatione solent esse boni & mali.
7. Major perfectio requiritur in Presbyteris, quam in Monachis.
8. Non omnes qui Professionem Religiosam emisserunt ad Ordines Sacros admittendi.
9. Examen Ordinandorum primario ipsi Episcopo competit.
10. Si jus examinandi Ordinandos alicui competeat, non censetur exclusus Episcopus.
11. Officiales alique inferiores Pralati examen aliquando sibi vendicant. & quid his decreverit Synodus Colonensis.
12. Convenit Episcopum in examine esse presentem.
13. Episcopus examen aliis delegare potest.
14. Episcopus ultra Examinatores ordinarios potest alios assumere; & praecipue à Canonicis Cathedralibus.
15. Non astringitur Episcopus Canonicos Cathedralibus assumere.
16. Examinatores quales esse debeant?
17. Monita S. Caroli ad Examinatores.
18. Examen imprimis instruendum circa vitam Ordinandorum.
19. Ordinandi mense ante Ordinationem se sistere debent Episcopo; & quare?
20. Nomina Ordinandorum publice populo proponenda; idque conforme veteri discipline.
21. Pristinam disciplinam exprimit Pontificale.

21. Huic pristinae publicationi successu hodierna per Parochum fieri solita.
23. Haec publicatio potissimum fit, ut de vita Ordinandorum exactior noticia habeatur.
24. Proclamationes fieri mandant Synodi Belgicae.
25. Volunt ista fieri instar Bannorum Maximonianum.
26. Decretum Synodi Leodiensis praxi hodie conforme.
27. Non solent hodie Ordinandi mense ante Ordinationem Episcopum adire; quod tamen esse conveniens.
28. Populus à Parocho monendus de harum proclamationum scopo.
29. Excitandum ut pro Ordinandis oret; & quàm hic sollicitus fuerit S. Carolus.
30. Populus monendus ad quid jejunia Quatuor Temporum instituta.
31. Ordinandi aliquo die ab Episcopo designando examini se sistere debent.
32. Examen circa mores ipsorum quomodo instituendum; & quid de Seminaris?
33. Quàm difficile habeatur exacta noticia eorum qui extra Seminarium morantur.
34. Non semper deferendum testimonialibus Directorum.
35. Regularium testimonis non fidendum.
36. Quanto se periculo exponant, qui passim quorumcumque testimonis credunt.
37. Qualiter super scientia examen instituendum?
38. Quae sigillatim inquiri voluerit S. Carolus?
39. Voluit ut Examinatores sibi certam formulam examinandi proponerent.
40. Examen unius hora an sufficere queat?
41. Exercitia spiritalia Ordinationi praemittenda; & quia horum scopus.



Itum est ab Apostolo omnibus Episcopis in persona Timothei, Manus cito nemini imponeris, neque communicaveris peccatis alienis. *1. ad Timoth. 5. v. 22.*

II. "Quid est autem cito manus imponere (ait S. Leo *Epistol. 87. capit. 21.*) nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae Sacerdotalem honorem tribuere non probatis.

Et ante Leonem Sanctus Chrysostronus praedicta verba Apostoli exponens *Homil. 15. in Epistol. ad Timoth.* ait: "Quid est illud, cito? Non ex prima probatione, nec secundam, nec tertiam, sed ubi consideratio diuturna praecessit, exactissimaque discussio, tunc imposito manus.

III. Jubet rursum in eadem Epistola *cap. 3.* Apostolus, ut Ordinandi probentur primum & sic ministrent.

Hinc toties in pristinis Canonibus praecipitur, ne Episcopi cito manus imponant; sed prius exactè probent & examinent vitam, mores, aliasque Ordinandorum qualitates.

IV. His insistentibus Synodus Tridentina, neminem, nisi praevia exacta de vita ac moribus inquisitione, & praemisso super ejus doctrina examine, ordinari voluit; uti pluribus capitibus *Sess. 23. De Reformatione* expressum est; ac signanter *cap. 12.* ubi postquam aetatem singulis Sacris Ordinibus praescriptam exposuit, subjicit: "Sciatis tamen Episcopi, non singulos, in ea aetate constitutos debere ad hos Ordines assumi: sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita sanctus sit. Regulares quoque nec in minore aetate, nec sine diligentibus Episcopis examine ordinentur: privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

V. Voluit igitur Synodus generaliter omnes, non tantum Seculares, sed & Regulares ante ordinationem examinari Episcopi esse subiectos; ut nimirum Episcopus examinare queat, num digni sint ad Ordines promoveri; ne aliàs contra praecipitur Apostoli alicui cito manus imponendo, pecca-